PA 8547
.M6 A7
1818
Copy 1

Geliefert von
Karl W. Hiersemann
Buchhandlung und Antiquariat.
LEIPZIG.

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800
Class PA8547
Book .M6A7
1818

Lyrici Lusus

A. Mathevon de Curnieu.



Sprevit opes et delicias, contempsit honores
Et rerum dominus nil cupiendo, fuit. A. M. C.

Lyrici Lusus

A. MATHEVON DE CURNIEU

ANNO 1740 NATI, 1807 MORTUI.

> . . . . . . Ego, apis Matinæ
> More modoque
> Grata carpentis thyma per laborem
> Plurimum, circa nemus uvidique
> Tiburis rivos operosa parvus
> Carmina fingo. (HORAT.)

PARISIIS,

Typis & Curis Dondey-Dupré,

Viâ Sancti-Ludovici, N°. 46.

1818.

PA 8547
.M6A7
1818

387270
'29

gb 671.33.

I.

Ad Amicum ***.

Gallica quum Latinæ
Musa mentitur faciem et
Ora sonosque Musæ;
Jure timet, sibique
Parva diffidens, oculos
Consulit eruditos;
Ne gravis et severus
Censor informem reprobet

Nec satis expolitam :

Tu bonus hanc magistrâ

Arte concinnâ et nitidam

Redde, vel ure flammis.



II.

Ad Gallos,

Quum ortis inter Magistratus dissidiis, acceptisque in Italiâ cladibus, nova belli civilis incendia nuntiarentur.

ANNO VII.

Quæ vesania ! Quis furor !
Quàm cæco miseri turbine volvimur !
Sors brutis melior feris,
Si nullo regitur gens moderamine.

At quò, quò ruitis? Novæ
Cur cristæ galeis, telaque, et impiæ
Aptantur manibus faces?
Ardebitne suâ Gallia dexterâ?....
Eheu! Jam satis et super
Certatum est odiis éxitialibus;
Cives, parcite civibus,
Atque iras acies vertite in hosticas....
Pallent; nec moniti audiunt,
Feralique premunt ora silentio.
Errandine necessitas,
Aut erroris amor desipientium
Turbam præcipitem trahit?
Nec jam certa Rei, nec Ducibus fides;
Expers Curia consilì
Delirat, populus plectitur innocens.
Quò Discordia devias
Mentes proripiet? Nunquid adhuc parum
Fusum est sanguinis, et piget
Tristes Imperii relliquias suis

Non convellere sedibus?
Ergo funeribus funera, (proh dolor!)
Accedet nova stragibus
Strages, oppositæ læta Britanniæ!
Tectis squalida dirutis,
Oppressisque silent artibus oppida:
Desertis dolet in viis
Pubes immeritis orba parentibus;
Indignoque terit pede
Fraternis silices cædibus ebrias;
Et cultore carent suo,
Versis in gladios, arva, ligonibus.
Urget dedecus additum
Damnis, inque dies vix medicabili
Gliscit pernicies malo,
Dum rerum bona pars irrita defluit.
Ingens præsidium et jubar,
Sublatum ex oculis, quærimus anxii:
Adsit qui velit improbas
Fraudes, et *rabiem tollere civicam!*

Adsit qui PATRIÆ STATOR *

Scribi, ac terrificam strenuus audeat

Refrenare licentiam, et

Libertate novâ luxuriantibus

Metas figere aheneas;

Præsens Ille suis carus et exteris!

O navis, tibi creditum

(Seram orbis requiem, fataque postera!)


Serves depositum, precor:

Quamvis remigio nudaque linteis,

* Quo sensu dicatur STATOR declarat Cicero, de Fin. Lib. III. « Atque etiam Jovem quum optimum et maximum dicimus, quumque » eumdem Salutarem, Hospitalem, *Statorem;* hoc intelligi volumus » salutem hominum in ejus esse tutelâ ».

Et SENECA, de Beneficiis, Lib. IV. « Et Jovem illum optimum ac » maximum ritè dices et *Statorem*, qui non (ut historici tradiderunt) » ex eo quòd post votum susceptum acies Romanorum fugientium ste- » tit, sed quòd *stant* beneficio ejus omnia, *Stator* stabilitorque est ».

Tot defuncta periculis,
Mauros o utinam, ritè faventibus
Euris, effugias sinus;
Spem gentisque bonam votaque sospites!



III.

Ad F. M.,

POETAM LUSITANUM,

Carmen.

Vitam beatam in animi moderatione consistere.

Prima dicta mihi, summâ dicêre Camœnâ,
Argento Mediocritas
Auroque et gemmis pretiosior, unica morum
Tutela et sapientiæ :

Quam colui tenero Dominam complexus ab ungui,
Te canus quoque diligo.
Jugera multa alii teneant, et grandia largis
Rumpant messibus horrea:
Non mihi sunt sortes nec fœnora; non mea colles
Tingunt pocula Belnici;
Sed neque sunt lites, neque jurgia; sed tamen omni
Simplex sorde caret domus.
Nec me sollicitant, quatientibus æquora ventis,
Illisæ scopulis rates,
Brasilicis opibus spoliisve Orientis onustæ.
Res nunquam placuit mihi
Parta labore gravi, curâ graviore tuenda.
Nullis nota potentibus
Mensa mihi brevis est, non fulgensære supellex:
Paucis apta sodalibus,
Arridet libris et mundo villula cultu,
Quam propter viret hortulus:
Est et pernocti bene commoda cellula somno, et
Blandis pervia solibus.
Quod si plura Dii obtulerint, ego ferre recusem;
Non plus quàm satis est, bene est.

Quin etiam aversis Fors, quæ dedit, auferat alis :
Nil mentem solidam quatit;
Nam parvo meliùs virtus adolescit, in ipsâ
Paupertate beatior.
Si vestros ubicumque choros et castra secutus,
Si turpis fugiens lucri,
Posthabui vestris, Musæ, mea seria nugis;
Vestris fontibus ebrium,
Si me castus amor per vestra cacumina raptat,
Phœbeæ, date, virgines,
Obscuros habitare Lares, placidæque senectæ
Horas ducere liberas,
Et vitare hominum turbam, vulgique tumultus;
Nec regum metus aut favor
Unquam me (extremum hoc etiam concedite, Divæ!)
Vestro dimoveat sinu.



IV.

Ad Varum,

JURISCONSULTUM,

Quum valetudinis causâ in villam secederet.

Carmen.

VARE, Vare, plumbeum
Pejusque ferro seculum protervis
Imminet nepotibus:
Jam nulla recti cura nec decori:

Priscus exulat pudor,
Honorque sanctus, candidique mores:
Hospes hospiti dolos
Natusque patri nectit; in jugali
Rara vinculo fides;
Amorque fratrum rarus et sororum.
Fas nefasque miscuit
Auri scelesta et imperî cupido;
Dantque jura gentibus
Qui jure nullo vivere arguuntur:
Turpe jam putant nihil,
Bonamque clamant undecumque prædam.
Execrata matribus,
Terrâ marique cruda bella fervent;
Quin cruore civico
Tinguntur enses! (O duella nullis
Expianda victimis!)
Tantùm obstinatas credulasque mentes
Error imbuit sacer,
Ut se nefandis cædibus jubenti
Obsequi putent Deo.
Lugenda tædet cernere.... Oh! latentem

Quis mihi det insulam
Nigræ feracem frondis, et recessus
Vallium reconditos,
Purosque fontes inviasque silvas,
Sol ubi serenior
Detergat umbras fronte, pallidamque
Pellat ægrimoniam.
Linquamus aulas urbiumque sordes,
Si carere turbido
Fori tumultu, jurgiisque vulgi
Quærimus volubilis.
Dî cœlo opacos prætulêre colles;
Ergo rura vatibus
Piisque placeant amniumque ripæ;
Celsa montium juga
Petamus ultrò : crede, tu clientûm
Longa quum negotia,
Dijudicatis litibus, relinques;
Quum salubrioribus
Licebit auris otioque tandem,
Vare, libero frui
Gravi laborum sarcinâ expeditum,

Omne risus innocens
Morbi tenacis diluet venenum :
Tum levi favonio
Afflata vultum sanitas nitentem
Reddet ac jocos simul
Dicacitatem et pristinam, salesque
Prurientis ingenî :
Quies virentem referet juventam.
Sic brevi sodalibus
Te fata caris sospitem, atque mœstis
Semper utilem reis
Diùque servatura te reducant.



V.

Ad Pollionem,

Umbram et secessum viro sapienti maturè convenire,

Carmen.

Quid nos illecebræ, Pollio, tamdiu
Falsæ pelliciunt, nec bene credulos
        Pompâ ludit inani
        Mundi scena volubilis?
Quæ dum suspicitur, vixque fugacibus
Personis oculos occupat, effluit

Actis sulphure flammis,
Aut picto similis vitro.
Vitæ quin potiùs (heu! nimiùm brevis)
Horas colligimus, dum superest colo
Stamen, filaque nondum
Fatales resecant Deæ?
Quem non turba fluens, sed ratio regit,
Non vanæ species decipiunt, neque,
Rerum pessima judex,
Vulgi torquet opinio:
Non ille aut teneris miles ab unguibus
Insanam galeâ canitiem premit,
Aut rursus mare tranat
Indis sospes ab ultimis:
Illum non amor aut discruciat metus,
Non spes anxia; non ille potentibus
Aulas et malè tutos
Fasces callidus invidet.
Ergo militiæ transfuga et urbium,
Curam impendit agris rusticus utilem,
Jacturasque juventæ
Compensat melioribus

Annis : tum Patriæ, tum sibi providus,
Sulcis frugiferas ordinat arbores,
        Et, quam nunc serit, ævo
        Quercus proderit alteri.
Captum blanditiis ac puerilibus
Natorum studiis, sedulaque et placens
        Castis moribus uxor
        Dulci detinet in domo.
Lætus sic reliquos ille agitat dies;
Nec deerit tacito nænia funeri,
        Fletu sparsus amico
        Urnæ quum dabitur cinis.



VI.

CARMEN.

Anno 1800.

» Conscientia bene actæ vitæ multorumque
« benefactorum recordatio jucundissima est ».
Cic. de Senect.

Aurea tecta Regum ac
Aureas vestes stupidum
Vulgus, et insolentes
Luminibus retortis
Divitum spectans epulas,
Invidiâ macrescit.

Talia possidentes
Jactat æquales Superis,
Et vocitat beatos.
Sed timor et cupido
Sordidus subter latitant
Tabificusque languor
Aurea tecta vestesque
Aureas; curæque graves
Improba corda torquent.
Integer atque purus
Rustico vivit meliùs
Sub Lare, spretor auri
Splendidus; ille avaræ
Abstinens fraudis, vetitas
Legibus odit artes.
Ille dapes inemptas
Liberis, mensâ in tenui,
Hospitibusque præbet:
At, sibi parcus uni,
Solvit indulgens animum
In miseros paternum.
Lubrica si fruendas

Diva quas olim dederat,
  Nuper opes ademit:
  Non dolet aut gravatur
Naufragis rebus, modicâ
  Sorte satis locuples:
  Quæ benefecit antehac,
Mente pertractat tacitus,
  Et meminisse gaudet.



VII.

Ad. Dom. Maxim. Torres,

Lusitanum Poetam Egregium,

Carmen.

Virtutem se ipsâ contentam externa omnia contemnere; sapientes et probos solos esse felices.

Quantum distat ab infimâ
Orbis parte polus, stelliferâ ambiens

Intermundia fornice;
Quantùm cæruleo torridus Æthiops
Anglo; masculus aut Scythes
Quantùm semiviro discrepat Italo;
Tantùm, Maxime, dissident
Insano sapiens, et probus improbo.
Recti judicii virum
Ducit conscia vox; hæret in intimo
Hæc sententia pectore:
Nunquam vel minimo feceris alteri
Quod nolis fieri tibi;
Mercedemque ferent quæ benefeceris,
Ingratis licèt obvius.
Fucatas facies et vitia oderit
Virtutes simulantia,
Puræ laudis amans et rigidæ tenax
Sectator sapientiæ:
Illi fida comes candida Veritas,
Adsunt et Pudor, et Fides,

Incorrupta Fides, Justitiæ soror.

Ludos ille volubilis

Divæ, ac Regum apices risit, et horrida

Non expalluit æquora,

Quum jam perdita res, et prope naufragam

Hybernus quateret Notus,

Tyrrhenis adigens pumicibus ratem.

Non illum dominantium

Unquam blanditiæ, nec populi malis

Captandus favor artibus,

Nec vesanus amor, nec studium lucri

Cœpto tramite dimovent,

Et fastus et opes spernere strenuum.

Vanis fracta pavoribus,

Demens terribiles turba colit Deos;

Vulgus fraus mala credulum

Pravis illaqueat relligionibus:


At quidquid vetat aut jubet

Virtus, illecebrâ sancit amabili,

Viles rejiciens metus:
Virtus arbitrio se proprio regit;
Fines illa sibi et modum
Ponit, non aliâ lege severior.
Quin sublimia cogitans,
Audax ex humili provolat angulo, et
Se cœlestibus inferens,
Major fulguribus, transmeat invium
Pennis æthera flammeis,
Divorumque silens concilio interest,
Terris luce carentibus
Allatura novas inde redux faces.
Nullis indiget infulis,
Externis neque se tollit honoribus
Virtus, ipsa sibi decus
Ingens, ipsa sibi nobile præmium.
Virtus sola placet sibi;
Pœna est nequitiæ quòd sibi displicet.
Nusquam culpa vacat metu,

Quamvis se foribus muniat æneis;
In tuto trepidat nocens,
Ipsumque est sceleris supplicium Scelus.

Mihi, quod potuit vis, et injuria, et sceleratorum hominum furor detrahere, eripuit, abstulit, dissipavit; quod viro forti adimi non potest, id manet et permanebit. Cic.



VIII.

Ad Grosphum

Carmen.

Qui volet nimis breve
Extendere ævum cautus, et paratis
Commodè bonis frui,
Frenare discat vota, spesque longas
Inchoare desinat,
Præsentis horæ gaudiis beatus.
Arctiore circulo
Cogenda rerum summa; tempus instat:

Nam premit dies diem,
Annique cursu defluunt citato.
Arte non domabilis
Ullâ, arte nullâ leniendus Orcus:
Magna, parva demetit,
Simulque reges et rapit colonos:
Nulla postero fides,
Et sole forsan ultimo calemus.
Sordidos cupidines
Arcere fas est, turbidasque curas;
Et potentium juvat
Vitare tecta splendidosque cœtus.
Afra tesqua pallidus
Rimator auri, torridasque rupes
Inter æstuet miser,
Venæ latentis curiosus; alto
Nauta prensus in mari,
Exspesque vitæ et mercis, obstinatâ
Ambiat Deos prece;
Nil flagitanti nil deest: avarâ
Quod mihi dedit manu
Fortuna, liber temperabit usus;

Nec metalla, quæ modò
Discinctus hæres occupet, recondam,
Otium negotio
Et myrtum olivæ miscuisse felix,
Seriisque dulcia.
Quòd si relictis largiora nuper
Cæcus abstulit furor,
Malâque fraude læsit immerentem,
Damna remque perditam
Quid attinet lugere, quum supersint
Quæ satis decent probum et
Non indecoræ suppetant senectæ?
Grosphe, sobrium quies
Secura ditat pauperem, negata
Multa possidentibus,
Fastuque potior, principumque cœnis.
Nobiles avos strepat
Superba proles, curribusque mannisque
Insolens terat vias,
Laborioso fluctuata luxu:
Me fides et integra
(Dos magna) decoret liberosque virtus,

Indolesque candida,
Amorque laudis, aureique mores.
Delio et sororibus,
Quamvis remissus infrequensque cultor,
Et sodalibus placens
Carusque vivam, cæteris repostus.
Hæc bonus Diespiter
Mihi hæc amanti sola, meque servet!

IX.

Ad Evaristum,

Anno 1803.

JAM plaudat sibi Gens Itala parciùs,

Jactenturque minùs prælia masculæ,

Quam salso cecinit carmine Virginem

Scurrilique tubâ Ferneïus senex:

Rem magnam meliùs ridiculo secas,

Quando, multijuges excutiens Deos,

Pugnata æthereis bella sub arcibus
Narras; ut veteres Cœlicolas suis
Divi depulerint sedibus advenæ,
Ex quo terrigenis sphinx nova credulis,
Intricata Trias, non sine stragibus,
Fulmen Romuleo præripuit Jovi,
Atque orbi gravius incubuit malum.

Importuna cohors sollicitudinum, et
Frontis diffugiunt nubila tetricæ,
Evariste, tuis victa leporibus,
Argutis penitus pulsa facetiis.
Postponant alii ludicra seriis;
Te convivia, te gaudia amantium,
Iras, furta, dolos et querimonias
Decantare decet non imitabilem.
Te dicente, Venus, fervidus et puer,
Nodumque haud faciles solvere Gratiæ
Rident dulciùs et pulchriùs enitent;
Nativisque viget Flora coloribus,

Quam circumvolitant murmure blandulo
Permixti Zephiris, turba procax, Joci.
Austeris placeant tristia; liberè
Te lusisse juvet; sic tibi certior
Vivo fama venit; sic quoque *posterâ*
Cresces laude recens : sume superbiam
Quæsitam meritis ; en tibi myrteâ
Lauro cingit amans Gallia verticem.
Concessit mihi non, quas tibi Delius
Artem et delicias; nec dedit aurea
Aptè verba modis jungere Gallicis:
At tu, (si quis honos, si Latiis adhuc
Qualiscunque manet gratia versibus),
Donum ne renuas, pauperis ingenî
Partum difficilem, quod malè consonum,
Evariste, tuo profero muneri,
Musarum timidus cultor et infrequens;
Qui longo latui jurè silentio,
Dum clavis animum sæva trabalibus

Invito patriis finibus exsuli
Fixum detinuit (triste) Necessitas;
Donec vis rapidi turbinis acrior
Natali lacerum restituit solo, et
Fortunæ laqueis expediit; sed, heu!
Ad sacros latices vix revocabilem.

Ad Posthumum,

Ut recuperatâ salute genio et Musis indulgeat,

CARMEN.

Non evasimus integri
Infamem stabili pigram hiemem nive,
Quâ non sævior altera
Unquam, aut corporibus perniciosior
Terris incubuit; tamen
Exacta est, et adhuc, Posthume, vivimus.

Duris libera vinculis
Ripas prætereunt flumina; tutiùs
Sulcant æquora navitæ,
Nec salsa adsiliunt littoribus vada.
Jam, spirante Favonio,
Frondes arboribus, gramina pascuis,
Atque hortis redeunt rosæ:
Rident prata novis picta coloribus;
Silvas pervolitant aves,
Et mulcent variis cantibus æthera;
Respondentque loquacibus
Lymphis et liquido murmure rivuli.
Flavis aurea messibus
Mox æstas aderit, quam modò frugifer
Autumnus perimet, modò
Cessurus gelidis ipse Aquilonibus.
Sic anni series fluit;
Certam continuis mensibus orbitam,
Æterno semel ordine,
Præscripsit Deus, et mitibus asperas
Alternat vicibus vices.
Errant perpetuis sidera cursibus;

Perstant cardinibus suis
Orbes; ipsaque firmat diuturnitas
Cœli tecta adamantina,
Et, quas sol peragrat, signiferas domos.
At nos tempore vincimur,
Et morsu tacito nos minuit dies
Inclusos spatio brevi,
Currentesque viam non iterabilem.
Ergo, Posthume, dum licet,
Vitæ (nam fugiunt) gaudia callido
Usu sedulus occupa, et
Quod florum superest, si superest, lege.



XI.

IN BRITANNOS

Bella Renovantes,

ANNO XI (1803),

CARMEN.

Si natura negat, facit INDIGNATIO versum.

LEGES juraque proterat,

Obscenoque fidem posthabeat lucro, et

Turpi justitiam utili!

Et quocunque ferat non satiabilem

Auri atque imperii sitim!
Et clamet licitum quod libuit nefas!
Jactet se dominum æquoris
Mercator Populus, nuper atrocium
Bellorum et scelerum artifex!
Ille et gemmiferæ regna Mesoliæ,
Et quas sol oriens videt,
Et quas occiduus sol videt insulas;
Extremumque nocentiùs
Gangem divitibus junxerit insulis!
Orbisque arbiter impudens,
Terras undivagis classibus ambiat,
Prædator temerarius!...
At quis Castaliis acrior haustibus
Mentem corripuit calor?
Et quò proripiet me rapidi parens
Indignatio carminis?
Plerumque est avidis exitio fames:
Damno nequitia est sibi;

Casusque immodicis proximus imminet.
Oderunt Superi impias
Vires : quæque humiles prætereunt casas,
Turrim nubibus æmulam
Magno cum sonitu fulgura proruunt:
In tuto salices virent;
Celsas dejiciunt flamina fraxinos.
Virtus quas bene temperat
Vires, ulteriùs Dî quoque promovent:
Qui mundi gelidum latus
Regnator tenet, hinc et mare Caspium, hinc
Curvi littora Baltici,
Et quæ non humilis rura Borysthenes,
Et quæ Vistula præfluit,
Dum leni populos arbitrio reget,
Pacis cultor et Artium,
Præsens ille suis Divus habebitur.
Blandus te quoque, Gallia,
Crescentem placido lumine respicit

Cœli ex arce Diespiter:
Adsit Mæoniâ qui celebret tubâ
Victis gentibus additum
Albim, et versa retrò, viribus integris,
Nullis cædibus agmina;
Insanique Ducis præcipitem fugam:
Adsit qui Calabrâ fide
Dementes minas, ultimaque ebriæ
Dicat fata Britanniæ!....
Ingens cura Deûm, tu juvenis, novi
Tutela imperii et decus;
Tu vir Marte potens, pace potentior,
Oh! sis usque potens tuî!
Te qualem Assyrii littoris incola, et
Tellus inclyta Memnonis;
Et qui Danubium, quique Tibrim, et nives
Volventem Eridanum bibunt;
Talem te aspiciet qui Thamesim bibit.
Hydræ colla tumentia


Contundes opibus Herculeis : tuæ

Quid non efficient manus

Quas armat duplici Gallia fulmine,

Tanto non operi impares,

Quod seris recinat fama nepotibus!



XII.

*Ad F. M***,*

POETAM LUSITANUM,

Ex gravi morbo convalescentem,

Carmen.

Sic est; neque humanæ immeritò gemens
Inflicta genti tot quereris mala,
Francisce, damnatosque duri
Terrigenas miseros laboris.

Eheu! Quot atris pestibus urimur!
Urunt medentes acriùs : ingruunt
Mentis tumultus æstuosi,
Quos et amor movet et cupido
Insana famæ : quid, quod et insuper
Viris adhærens Mercurialibus,
Plerumque paupertas acumen
Ferrea et ingenium retundit?
Hac lege, rerum callidus arbiter
Mundique rector ambiguo semel
Mortalibus concessit uti
Munere; ne nimiùm beati,
Fretique vanis artibus, ebrios
Dum fluxa sensus gaudia detinent,
Hanc lucis usuramque vitæ
Perpetuam propriamve sperent.
Nobis iniquas sic variat vices
Volvens arenam clepsydra mobilem,
Ut, dulcibus miscens amara,

Stare diu vetet ulla fatum.

Spirare primam qui dedit, ultimam
Decrevit horam : ver breve currimus,
Fessique mox curvam subimus
Canitiem stabilesque rugas.

Ergo querelis pone modum tuis :
Condisce vitam; nec muliebriter
Frangi, neque extolli insolenter
Socraticum patiare pectus.

Est vir ferendo : tu neque desines,
Recti decorique officii tenax,
Per damna, per fraudes malorumque
Insidias animosus ire

Quò prisca virtus, quò Patriæ vocat
Cura adjuvandæ consilio aut manu;
Scriptisque falles seu jocosis
Tædia, seu libeat severis.

Olim procellas et celerem fugam
Nosti, relinquens (non avibus bonis)

Laresque, mœrentesque amicos,
Et Patriam reditus negantem:
Sed liberales vertere spiritus
Calumniosum non valuit nefas;
Nec magna divinis sonantem
Carminibus cohibere venam.
Quàm penè nuper pessima febrium
Te injurioso proruit impetu!
Quàm penè non tangenda furvæ
Stamina subsecuêre Parcæ!
Laborioso quum tibi anhelitu
Virile tussis concuteret latus
Horrenda (vidi) luridusque
Marcida tingeret ora pallor:
Flevisse Clio, Melpomene suum
Flevisse fertur, visa iterum sibi
Lugere Flaccum: sed rapaci
Te Deus herbipotens ab Orco
Salvum reduxit, non sine plurimo un-

Dequàque plausu. Reddere debitum
Carmen memento; nec repostâ
Pulchra dies careat lagenâ.

Sic te benigno numine Delius
Diu sororum servet amans choro,
Longùmque depellat senectam
Difficilem, querulosque morbos!



XIII.


Ad Dellium,

Carmen.

Delli, quatenus omnia
Lætis læta fluunt, tristia tristibus,
Frontis nubila discute,
Et curis animum solve loquacibus.
Famæ tolle cupidinem;
Jam desideriis sit modus et pudor;

Cantûs desine lugubris,
Nec turpes elegos, nec miserabiles
Æternet lyra nænias.
Importuna probro est nænia; inutili
Planctu, qui sapit, abstinet;
Nec luget spatio longiùs annuo.
Luges præteriti memor;
At quodcunque retrò est, non querimoniis
Diffingi, aut lacrymis potest:
Nullis carminibus (crede) licentiam
Ferri, nec mala corriges
Bellorum; vitiis atque superbiæ
Nec lex nec ratio moras
Aut frena injicient: sæcula respice;
Infelix hominum genus
Ardet nequitiâ non medicabili.
Arbor maxima quæ diu
Crevit, pulsa Noti concidit impetu:
Montes fulmina certiùs
Excelsos feriunt: hinc apicem ferox,
Sævo tollere cum joco,
Fortuna, atque aliò ponere gestiens,

Fasces et diademata,
Arces, templa, domos, imaque summaque
Insano pede proruit,
Quum pravæ indecorant sceptra libidines.
Sic rerum rota volvitur;
Præceps nostra simul nosque rapit dies:
Nil sors perpetuum dedit;
Humana intereunt seriùs, ocyùs:
Nulli fata retundere
Concessum; ergo feras vincere quod nequis.
Hæc dum cæca agitat Dea,
(Plebeius faciat quid potius senex?)
Nullius ego nominis
Securo tacitus perfruor otio.



TABULA.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 097 935 7